



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

Reformationes Cleri Dioecesis Leodiensis anno Domini MCCCCXLVI.
tempore Eugenii papae IV. per reuerendum patrem dominum Ioannem
episcopum Leodiensem factae, & per capitulum maius Leodiense ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

ANNO
CHRISTI
1440.

Forma iuramenti soliti per testem synodalem præstari.

Ego N. iuro, quod amodo & antea quidquam noui aut audiui, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei & totam Christianitatem in ista parochia, vel in isto meo decanatu, (si decanus iurat) factum sit aut futurum erit, si in diebus meis euenerit, cum ad meam cognitionem quocumque modo perueniat, si scio, aut indicatum mihi fuerit synodalem esse causam, & ad ministerium episcopi pertinere, quod ego nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter precium, nec propter parentelam, nullatenus celem episcopo meo aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque me ex hoc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia; (si presbyter est.) Alias sic: Et illorum sanctorum reliquia.

ANNO
CHRISTI
1446.

R E F O R M A T I O N E S
CLERI DIOECESIS LEODIENSIS
anno Domini MCCCCXLVI. tempore Eugenii papæ IV. per reuerendum patrem dominum Ioannem episcopum Leodiensem factæ, & per capitulum maius Leodiensè sigillatæ, ac postea per Nicolaum V. approbatæ.

Vniuersis presentia statuta visuris seu auditoris Ioannes Dei gratia episcopus Leodiensis salutem in Domino sinceram.

QUAMVIS bonæ memoriæ Adulphus episcopus Leodiensis, prædecessor noster, ad extirpandum officiariorum curiæ nostræ, nec non curialium venerabilium virorum, præpositi, capituli, * archiepiscoporum nostrorum Leodiensium ipsas curias sequentium, abusus & excessus, quædam vtilia statuta condiderit, quædam scilicet anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, mensis Septembris die vigesima octaua; quædam autem anno eodem, sed mensis Octobris die septima; alia quædam anno a natiuitate eiusdem Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, mensis Iulii die nona: & illa mandauerit sub certis pœnis in eisdem adiectis inuiolabiliter obseruari. Illa tamen vsquequaque obseruata non sunt: vnde gra-

* legendum
archidia-
conorum

uamina sunt addita nostris subditis grauiora. Ideo eorumdem subditorum incommodis obuiare volentes, illa statuta & alia synodalia per prædecessores nostros edita, ac per nos nouiter cum aliquibus additionibus innouata, saluis tamen infra scriptis statutis, de dicti nostri capituli consilio & consensu, innouamus, & de nouo confirmamus, præcipientes auctoritate nostra districtius, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis in illis expressis, diligentius ab omnibus obseruari; quædam autem consideratione venerabilium maioris & secundariarum ecclesiarum nostrarum Leodiensium, capitulorum ac cleri nostrarum ciuitatis & diocesis Leodiensis, de memorati nostri capituli maioris consilio & consensu, statuentes.

In primis siquidem statuimus, quod licentia testandi alicui presbytero seu beneficiato per literas sub sigillo officialitatis curiæ Leodiensis concessa non expiret per cessum vel decessum illius episcopi, cuius tempore concessa fuit; sed perpetuo sit firma & valida.

Item si contingit sigilliferum vel officialem foraneum apponere manus ad bona mobilia alicuius presbyteri vel alterius beneficiati, ab intestato seu absque licentia testandi defuncti, conficiatur de illis bonis statim & fideliter inuentarium, & quod exequiis & debitis solutis supercreuerit, cedat dispositioni nostræ conuertendum prout nobis visum fuerit expedire.

Item quod de cetero pro absentia infra festum sancti Ægidii petenda non recipiatur vltra quam vicesimus denarius valoris annui beneficiorum, deductis realibus oneribus. Et vt de beneficii, de quo absentia petetur, vero valore notitia, rectore petente, certius habeatur, volumus notitiam eandem iuramento rectorum & virorum fide dignorum coram illo, a quo petetur absentia, vel certo commissario in loco beneficii ad hoc dando, & nullatenus dari denegando, docere posse & debere. Prouiso in hoc, quod dicto semel officiali vel sigillifero Leodiensi modo præmissis, seu archidiacono, suo vicario, non ardeatur talis docens, absque legitima causa, valorem eundem secundario deducere vel docere. Sed vterque prælatorum prædictorum sit contentus documento coram altero ipsorum fideliter facto, nisi fructus beneficii huiusmodi augmententur

ANNO
CHRISTI
1446.

tur vel diminuatur. Quodque pro placet cuiuscumque beneficii curati, quanticumque valoris, vltra vnum scutum vetus: beneficii vero nõ curati, vltra quatuor grossos veteres, quales subscribuntur, de cetero non recipiantur quouis modo. Volumus tamen & mandamus, pro placet ipsorum beneficiorum minus recipi, secundum fructuum tenuitatem.

Item in absentia pro placet etiam coniunctim pro registrationibus tam per sigilliferum nostrum, quam archidiaconos ecclesie nostre Leodiensis non recipiantur a modo vltra quam duo grossi antiqui, quorum duodecim valebunt florenum Rhenensem & vnum dimidium stufferum bonum. Quales etiam grossos solui volumus in absentia & registrationibus, & quod nihil, quoad absentes, capiatur seu recipiatur abusive.

Item, quia diaconi, seu vicedecani & capitula secundariarum ecclesiarum nostrarum Leodiensium, hactenus plus onera, vexationes & labores nobiscum, & cum venerabili capitulo nostro Leodiensi, pro libertate ecclesiastica seruanda & pro resistentia iniuriarum, oppressorum & grauaminum, quæ (proh dolor) clero nostro tam infra ciuitatem, quam extra, diuersimode & pluries retroactis temporibus obuenerunt, & in dies obueniunt, subire habuerunt & habent, dum talia vel similia occurrunt: idcirco ipsis dominis decanis seu vicedecanis & capitulis secundariarum ecclesiarum nostrarum Leodiensium præactarum, gratiose indulgentes, ordinamus & statuimus, vt inantea nullus sigillifer noster pro tempore, aut aliquis archidiaconorum, siue vicarius eorundem, decanus seu vicedecanus Christianitatum seu Conciliorum quorumcumque, aut alius prælatus quicumque nostrarum ciuitatis & diocesis Leodiensis, alicui canonico præbendato nostrarum ecclesiarum secundariarum Leodiensium præactarum, & residenti in eisdem, seu aliqua ipsarum, & extra easdem beneficium vel officium, seu beneficia vel officia nostre diocesis, curatum vel non curatum, aut curata vel non curata obtinenti, licentiam abessendi, fructusque ad nos vel nostram dispositionem, & ad prælatos prædictos seu aliquem ipsorum ratione absentie huiusmodi spectantes, leuandi & habendi ac faciendi illis vel illis laudabiliter in diuinis deseruire deneget. Sed concedere debeat

unicuique canonico residenti, vt præfertur, petenti & competentem taxam iuxta articulum siue punctum præactum, de 20. denario singulis annis infra & ante festum beati Lamberti martyris offerenti: hortantes omnes & singulos decanos seu vicedecanos, & capitula omnium & singularum ecclesiarum nostrarum collegiatarum, extra civitatem Leodiensem & infra diocesim nostram consistentium, vt ipsi & eorum singuli se fauorabiliter in præmissis cum canonicis residentes in aliqua secundariarum ecclesiarum nostrarum præactarum se conforment. Et absentiam nulli ipsorum prælatorum & canonicorum residentium illam petenti denegent: scituri, quod si facere recuserint, quod absit, non gaudebunt neque fruuntur nostris præsentibus ordinationibus siue statutis.

Item inhibemus, ne de cetero fructus beneficiorum, in quibus rectores eorum personaliter resident, sub ficto colore, quasi ipsi sint absentes, aliquatenus arrestentur. Nec etiam eorum rectoribus qui absentes sunt cum licentia suorum prælatorum, huiusmodi licentiam dare debent, dum beneficia huiusmodi alias laudabiliter officientur, prout debent. Quodque si forsitan scienter vel ignoranter secus contigerit attentari, comperta veritate, summarie iudex sine aliqua difficultate arrestum tollat. Et si forsitan contra talem rectorem vel eius procuratorem, aut alium habentem causam ab eo, occasione huiusmodi arresti quomodolibet fuerit pro contumacia, vel alias processum ad excommunicationem, suspensionem vel interdictum, absolutio sine difficultate impendatur. Et pro reuocatione arresti atque absolute huiusmodi, & pro signo siue pro sigillo nihil recipiatur. Sed literæ super huiusmodi reuocatione seu absolute confectæ, gratis per notarios ad alia deputatos signentur, & per eos ad quos spectat sigillare, gratis sigillentur. Et insuper si contingat collectorem fructuum vel beneficiorum absentis vel procuratorem negotiorum curiæ propter iniustum arrestum vel iniustam censuram huiusmodi condemnari in expensis, precipimus illas statim solui, vel in iudicio deponi ad opus illius, cui eadem expensæ sic adiudicatæ fuerint.

Item statuimus, vt nullus collector fructuum beneficiorum, quorum rectores sine licentia sunt absentes, ad-

ANNO
CHRISTI
1446.

mittatur ad exercendum huiusmodi officium in iudicio vel extra, nisi prius iurauerit quod non procurabit aliquos fructus aliquorum beneficiorum, in quibus rectores eorum personaliter resident, sub ficto colore prædicto aliquatenus arrestari: nisi prius illo rectore debite in propria persona vel in loco beneficii vocato, iudex ad arrestationem huiusmodi ex aliqua rationabili causa, quam in huiusmodi decreto exprimi volumus, iudicialiter decreuerit procedendum. Et etiam nisi idem collector iurauerit, quod beneficiis curatis & non curatis, quorum fructus colligere sibi commissum est, seu committetur, debite & laudabiliter faciat deserui: & quod soluet iura eorum, & onera etiam realia supportabit: & quod si bona eorundem propter suum defectum diminuantur, ipse damnum plenarie refarciet absque fraude.

Item statuimus, quod si licentia abessendi præcedat arrestationem antedictam, collector fructuum prædictorum pro arrestatione, seu pro literis, nihil percipiet. Si vero licentia huiusmodi arrestationem subsequatur, tunc per hoc volumus arrestum esse sublatum. Et collector, si præsens sit, vel subcollector, duos dumtaxat grossos percipiet: alioquin, si absens fuerit, ad opus eius, sigillifero vel vicario archidiaconi, qui arrestum posuit, pro arrestatione seu pro literis nihil percipiet, dummodo tantumdem exposuit, & arrestum non fuerit præmature positum, in promptu solui præcipimus. Sed si propter loci distantiam plus meruerit, hoc sit in arbitrio iudicis.

Locus ob-
scurus.

Item de Synodo celebranda, & de excessibus synodalibus ac examinatione & institutione procuratorum fiscalium, nec non de salario & scripturis sententiariorum, articulatorum, copiatorum, notariorum, procuratorum quorumcumque, fiscalium & non fiscalium, curias nostras & aliorum prælatorum frequentantium, nec non de his qui cedere volunt bonis propter paupertatem, seruetur & fiat, prout in statutis synodalibus, aut curiæ Leodiensis, nec non modificationibus tempore bonæ memoriæ domini Adulphi quondam episcopi Leodiensis factis, atque prout in pace Tungrensi & aliunde ordinatum est & prouisum; saluo quod articulator non debeat contra vnam personam super diuersis excessibus facere diuersos siue plures

Concil. Tom. 33.

Zzzz ij

processus, nisi iudex ex speciali causa decreuerit hoc esse faciendum. Et stet contentus pro responsionibus & iuramento ad articulos, si in eisdem sit vnicus dumtaxat excessus, salario, prout illis prouisum est in statutis & aliis prætactis. Et si fuerint plures excessus in eisdem articulis, sit contentus recipere & habere, prout iudex iuxta quantitatem scripturarum, & responsionum ad eosdem decreuerit recipiendum vel soluendum.

Item si citatus ex officio ad curiam nostram Leodiensem, vel alicuius archidiaconorum, responsurus super excessu quocumque fuerit propter suam contumaciam excommunicatus, statuimus vt huiusmodi contumax de cetero vltra summam seu valorem sex grossorum Turonensium; si vero presbyter, 12. grossorum, pro sua contumacia non plectetur. Si vero quis ad cuiuscumque instantiam per annum & amplius excommunicationis sententiam animo sustinuerit indurato, arbitrio iudicis plectetur. Et eo mediante, cuiuslibet tali sua absolutio gratis signetur, & pro duobus grossis, prout de illis prouisum est, sigilletur. Et idem volumus obseruari per quoscumque iudices nostræ diocesis, etiam auctoritate apostolica fungentes.

Item statuimus, quod pro sententia diffinitiuæ seu interlocutoria, negotio finem imponente, signanda & sigillanda non recipiatur vltra vigesimum denarium condemnationis vel absolutionis. Pro interlocutoria autem signanda & sigillanda, quæ vim non habet diffinitiuæ sententiæ, non recipiantur vltra duo grossi.

Item circa procuratores negotiorum statuimus, quod de cetero non sint in curia nostri officialis nisi quindecim procuratores negotiorum curiæ eiusdem, præter collectores; & quod in qualibet curiarum præpositi & archidiaconorum, non sit nisi vnus. Et sint illi probi, discreti & fideles, Latinum congrue loqui scientes, non presbyteri, tabelliones publici, notariatus officium in aliqua curiarum prædictarum exercentes, infames, homicidæ, publici adulteri, manifesti vsurarii, vel laici, & collectores fructuum beneficiorum vacantium vel absentium, sint presbyteri, aut bonæ fidei homines.

Item statuimus, quod nullus eorum sit sigillifer, archidiaconus vel notarius illius curiæ, cuius ipse est negotio-

ANNO
 CHRISTI
 1446.

rum procurator ordinatus, sed sint in singulis curiis singula officia distincta. Et sit vnusquisque contentus suo officio.

Item cum in literis absentiae ab aliquo beneficio per officialem nostrum & archidiaconos concedendae exprimitur persona illi deseruitura, cum clausula, vna cum alio vel aliis beneficiis, nolumus quod talis deseruitor pro licentia huiusmodi quidquam soluat, ex quo in hoc casu est ei licentia ad hoc concessa.

Item statuimus, quod nullus de cetero citetur ad curiam Leodiensem, seu archidiaconorum, super suis excessibus responsurus, nisi cum citatorio mittantur etiam articuli continentis excessus huiusmodi, vel saltem, nisi in ipso citatorio excessus sint taliter expressi, quod citatus possit plene instrui super quibus ipse in iudicio conuenitur.

Item inhibemus, ne citatus aliquis auctoritate ordinaria, vel nostri conseruatoris apostolici, ad ciuitatem Leodiensem pro sua causa agenda, vel defendenda, ac legitime profequenda veniens, vel inde recedens, aut in ea domicilium fouens, & iuri stare paratus, de cetero recipiatur, vel incarceretur, aut in carcere detineatur, nisi crimen in iure confessus, aut in crimine comprehensus fuerit seu de eo conuictus. Et si contingat aliquem talem vel quemcumque alium, in crimine non deprehensum, non conuictum detineri, illi dentur articuli celeriter & expedite: quod nisi factum fuerit, volumus & mandamus incontinenti sub cautione, quam iudex decreuerit, emitti. Et prohibemus ne aliquis in dioecesi Leodiensi beneficiatus, & in suo beneficio residens, pro quocumque crimine sibi imposito capiatur, vel etiam fructus sui beneficii arrestentur, nisi (vt praemittitur) conuictus, aut saltem desuper prius debite citatus fuerit, ac comparere & iuri stare non curauerit, vel de eius fuga verisimiliter timeatur, aut crimen huiusmodi executionem in personam requireret.

Item quod de cetero executiones literarum monitoriarum, quae impetrantur super contumacia iudicato vel recognito, teneantur iudici qui illas concessit modum & formam atque diem & horam suae executionis, vna cum speciali designatione personarum, in quas huiusmodi literas sunt executi, rescribere in fine earumdem literarum, vel

per transfixam, suamque rescriptionem sigillo proprio & noto, quo vti consueuerunt, communire.

ANNO
CHRISTI
1446.

Item iuri communi & prædecessorum nostrorum statutis & ordinationibus innitentes, districte prohibemus, ne pro resignatione beneficiorum admittenda, & pro institutione & admissione ad beneficia, quidquam recipiatur, etiam quocumque colore quæsito. Nihilo minus tamen pro scriptura, signo & sigillo trium proclamationum, ante institutionem seu admissionem fieri consuetorum, sex grossi: & pro institutione seu admissione, scriptura, signo & sigillo, duodecim grossi: & pro audientia vnus grossus, recipi poterunt, & non vltra: Per quæ tamen non intendimus tollere ius quæsitum per antiquitatem temporis, archidiaconis & prælatis aliis, habentibus compositionem de octaua parte fructuum beneficii vel officii, ad quod quis admittitur, secundum tamen verum valorem dicti beneficii vel officii tempore admissionis huiusmodi: neque infringere consuetudinem laudabilem archidiaconorum & prælatorum, minus pro præmissis aut aliquo præmissorum recipere consuetorum. Quam præcipimus in suo statu irrefragabiliter obseruari.

Item circa visitationes, quas archidiaconi faciunt per se vel suos vicarios, statuimus quod ipsi visitatores in his taliter se habeant, quod nihil contra canonicas sanctiones, siue synodales constitutiones aliquatenus faciant, seu fieri etiam permittant: sed his dumtaxat quæ eis licita sunt sint contenti: nihil penitus curialitatis, seu procurationis nomine, a prouisionibus mensæ sancti Spiritus, aut fabricæ, altacaristicis appendiciis non separatis, seu fialibus, ecclesiarum capellis, aut etiam hospitalibus, recipiendo. Et quod vt melius obseruetur, volumus visitatores apostolica forsitan auctoritate committendos, ad hoc per eorum adstringi iuramenta, in capitulo nostro Leodiensi præstanda. Et si secus in aliquo fieri contigerit, volumus hoc nobis, aut dicto capitulo nostro maiori fideliter & quantocius nuntiari, vt quod reparandum fuerit debite reparetur. Et vltcrius, quod deinceps visitationes per procuratores nequaquam admittantur, vel fiant etiam auctoritate apostolica, nisi mandata siue literæ apostolicæ debite obtinendæ prius per nos episcopum præfatum, &

ANNO
CHRISTI
1446.

nostrum venerabile capitulum, aut saltem per ipsum nostrum capitulum, visa, examinata & admissa fuerint sufficienter & deliberate.

Item si contingat reum de excessu aliquo, propter quem fuerit ex officio vel ad instantiam partis tractus in causam, componere ante litis contestationem, vel postquam aut antequam in causa sit iuratum, nullus notarius in causa huiusmodi, siue procurator, aliquid ab eodem reo suoque procuratore exigere praesumat ratione alicuius iuramenti, quod nondum in ipsa causa praestitum est, videlicet ut non recipiat notarius aliquid pro iuramento calumniae vel alio iuramento, quod non fuit in causa praestitum. Nec super articulatis aduersus eum poenitentiam recipere vel componere volentem ad iurandum compellat. Si tamen aliqua de articulatis aduersus eum poenitentiam petens vel compositionem negauerit, intentionis nostrae est, quod respondeat medio iuramento calumniae ante poenitentiam iniungendam, vel compositionem fiendam.

Item quia nimis indiscrete quamplures literas, quae dicuntur statutorum, & potissime per quas mandatur cessari a diuinis, percepimus a curia nostra Leodiensi emanasse, statuimus quod de cetero literae, quae dicuntur statutorum, & potissime per quas mandatur cessari a diuinis, dicantur per aliquem, seu aliquos, nostrae curiae praedictae, expertum, seu expertos, practicum, seu practicos, & signato officialitatis per nostrum officialem, si rationabiles & iure vel statuto bene fundatae sint, in ipsarum capite muniantur, priusquam sigillentur.

Item statuimus, quod si canonice intranti & pacifice possidenti per biennium auctoritate apostolica legati vel ordinaria beneficium ecclesiasticum quodcumque litem in futurum super eodem beneficio moueri contingat, fructus eiusdem beneficii nullatenus ex eo capite, quod beneficium est litigiosum, vel quod occasione beneficii lis moueatur, illi subtrahantur vel arrestentur; sed eo casu ipse illos perciperet cum ea integritate, qua eos perciperet, si super huiusmodi beneficio vel eius occasione lis mota non esset, nisi subtractionem vel arrestationem huiusmodi, mediante iudicis competentis iudiciali decreto, ex aliqua rationabili causa fieri contingat. Volumus autem quod tali

possessori, cui super beneficio lis est mota, non denegetur absentia, si ex legitima causa se voluerit absentare. ANNO
CHRISTI
1446.

Item statuimus, vt nullus de cetero fiat officialis nostri, seu alicuius archidiaconorum prædictorum officialis foraneus, nisi sit presbyter vel clericus vitæ laudabilis & honestæ conuersationis, qui officium huiusmodi exerceat laudabiliter & honeste. Et in quolibet Concilio non sit nisi vnus officialis foraneus, & vnus archidiaconus foraneus, Conciliis Geldrensisibus propter sui latitudinem, nec non Tungrensisibus, Traiectensibus, & sancti Trudonis, propter idiomatam diuersitatem dumtaxat exceptis.

Item quia cognouimus quosdam clericos, seu officiales foraneos, aliquando super matrimoniis seu sponsalibus contractis partes contra huiusmodi matrimonium seu sponsalia opposcentes concordasse, & aliquando compositionem cum illis iniisse, & pecunias ea de causa recepisse: vt de cetero periculis animarum obuietur, inhibemus omnibus nostris subditis, ne super oppositionibus factis contra matrimonium seu sponsalia contractum seu contracta, concordiam aliquam faciant seu tractent, componere seu concordari siue tractari procurent: ne etiam aliquis huiusmodi compositionibus, concordis, tractatibus interesse præsumat. Sed super huiusmodi matrimoniis, sponsalibus & oppositionibus expectetur sententia iudicis competentis.

Item inhibemus, ne litem in aliqua curiarum prædictarum habendam in ciuitate Leodiensi ad causam ipsam procuratorem legitime constitutum vel substitutum aliquis citare seu citari facere præsumat ad aliquem actum, seu ad aliquos actus dictæ causæ, nisi de speciali & expresso mandato iudicis ex aliqua rationabili causa hoc processerit.

Item etiam inhibemus, ne in aliqua causa notarius aliquis responsiones faciendas, * ad propositiones siue testes forte 24 producendos audiat, recipiat, vel examinet extra curiam nostram, nisi iudex causæ illi præsentis vel absentis notario hoc expresse commiserit.

Item prohibemus, quod nequaquam vni presbytero committatur deseruitura duarum ecclesiarum parochialium non condependentium, absque euidenti necessitate. Et si contingat ex tali necessitate vni presbytero deseruituram talium duarum ecclesiarum parochialium commit-

ANNO
CHRISTI
1446.

ti, nolumus tamen, quod talis presbyter bis celebret in die absque nostra licentia speciali, cum id in iure prohibeatur. Habentes autem plura beneficia, & illis simul deseruientes, propterea non vexentur, nec quidquam ab eis exigatur vel recipiatur, dummodo oneri ipsorum possint satisfacere, & satisfaciant cum effectu.

Item quod curato residenti in cura sua, & obtento placet coadiutoris, si medio tempore decesserit, testamento per eum condito de licentia nostra illud non expiret per mortem dicti curati: sed durabit vsque ad festum B. Ioannis Baptistæ, mortem prædictam immediate subsequens.

Item similiter de curato absente, de nostra & aliorum prælatorum licentia, & testamento per eum de eadem nostra licentia condito, placet pro deseruitore suo obtentum, per mortem eiusdem absentis curati non expiret, sed durabit, vt supra.

Item volumus, statuimus & ordinamus, quod nemini petenti licentiam, fructus sui altaris competentes non habenti, ponendi & conuertendi in augmentum huiusmodi sui beneficii vel altaris, per nostrum officialem & sigilliferum aut archidiaconos seu vicarios suos prædictos denegetur. Prouiso, quod fructus leuans in augmentum conuertens, ipsi altari faciat debite in diuinis deseruiri. Et post lapsum temporis sibi ad hoc indulti computum inde reddere teneatur. Et placet deseruitoris sibi in hac parte gratis concedatur.

Item si contingat deinceps aliquem presbyterum curatum, vel alium quemcumque beneficiatum, propter executionem mandatorum ecclesiasticorum minas & metum sustinere, propter quas non audet in beneficio aut loco residere, volumus & mandamus tali presbytero licentiam abessendi ab huiusmodi suo beneficio gratis concedi, metu ipso durante. Et nihilo minus per iudicem, a quo mandata emanauerunt, sibi de expensis necessariis, honestate seruata, pro eodem tempore debite prouideri.

Item inhihemus, ne de cetero aliquis sit iudex & sigillifer noster, seu vicarius & componens in eadem curia simul & semel. Quodque nullus coniugatus sit officialis aut sigillifer noster, vicariusve alicuius archidiaconorum, aut iudex alicuius curiarum prædictarum.

Item inhihemus, ne decani Christianitatum sub colore visitationis ficto, vel illius remissione, recipiant de suis quartis capellis pecunias annuas, nisi personaliter visitaerint, & cum effectu. Et tunc stent contenti quarta parte illius, quod archidiaconis pro * integræ ecclesiæ visitatione debetur. Et idem volumus obseruari in solutione obsonii & cathedratici ipsarum quartarum capellarum dictis decanis facienda. Et nihilo minus resideant ipsi decani quilibet in suo concilio, nisi fuerit officialis, sigillifer, aut protonotarius noster, aut locum tenens alterius eorundem. Saluisque priuilegiis apostolicis, vel nisi cum eis per nos aut nostros superiores fuerit dispensatum. * integra

Item statuimus, vt iidem decani rurales in solutione absentiarum & placet, de suis quartis capellis, ac etiam in proclamatione & admissione ad easdem, & octaua parte fructuum sint contenti, & illis vtantur sicut sigillifer & archidiaconi.

Item prohibemus ne sigillifer noster Leodiensis, aut aliquis alius, pro delibatione sacri chrisimatis, olei sacri, aut olei infirmorum, in ciuitate nostra Leodiensi decanis Christianitatum nostræ diocesis in hebdomada pœnitentiali delibari solitorum, neque ipsi decani pro ministratio-
ne huiusmodi sacramentorum confratribus suorum conciliorum facienda quidquam recipiant vel exigant, contra vel præter tenorem statutorum synodaliū, sed absque extorsione alicuius pecuniæ, siue sub colore expensarum aut alias quocumque, illa expedite deliberent, cum ad hoc ex debito suorum officiorum obligentur.

Item prohibemus, ne huiusmodi sacramenta detineantur per nostrum sigilliferum, aut quemcumque alium, neque etiam eorum delibatio denegetur alicui propter deportationem aut executionem quorumcumque mandatorum ecclesiasticorum absque decreto nostri officialis speciali.

Item quamquam archidiaconi & decani Christianitatum audientiã & cognitionem causarum coram eis intendarum committere valeant, tamen vt ipsi superioris iurisdictionem & auctoritatē non defraudent, inhihemus ne decisionem & diffinitiuam sententiam ipsarum committere præsumant quoquo modo. Et similiter inhihemus officiali

ANNO
CHRISTI
1446.

curiæ nostræ Leodiensis, ne causas per viam appellationis ad eum deuolutas, aliquatenus committere præsumat. Et ne causas alias per viam simplicis querelæ coram eo intentatas, vltra semel committere præsumat decidendas.

Item in factis præsentationum ad sacros ordines statui-
mus & ordinamus, quod pro præsentatione ad quemlibet
sacrum ordinem non recipiantur vltra, nisi sex grossi, qua-
les præscribuntur in quarto puncto, siue articulo, ab initio
computando, pro scriptura, signo & sigillo in vniuerso.

Item statuimus, quod de cetero curatus rescribens suis
temporibus decanis, seu vicedecanis alterius conciliorum
nostræ diocesis, prout moris est, debet semel dumtaxat in
anno, & non amplius, rescribere nomina & cognomina be-
neficiorum curatorum & non curatorum, ac officiorum
infra parochiam suam consistentium, vna cum annuo va-
lore beneficiorum vel officiorum huiusmodi iuxta com-
munem æstimationem, vel prout melius sciuerit, ac nomi-
nibus ac cognominibus rectorum eorundem residen-
tium atque absentium ab eisdem, & deseruatorum eorum-
dem, & excommunicatorum per annum & amplius. Et
item sic rescribens, non debet ex officio citari super vlte-
riori rescriptione facienda.

Item statuimus & ordinamus, quod nullus presbyter
super incontinentis citetur, nisi mulier nominata in cita-
torio, cum qua dicitur incontinens, sit primo ad sanctam
Synodum prouocata. Volumus tamen, quod in euentum,
in quem Synodus in loco domicilii eiusdem mulieris non
fuerit celebrata, vel talis mulier per dolum, fraudem, siue
timorem scabinorum synodaliū sit neglecta, & in Syno-
do non prouocata, & de hoc procurator fiscalis inquirere
voluerit, hoc licite facere poterit.

Item quia parum est statuta condere, nisi debitis pœnis
vallentur, statuimus & ordinamus, quod omnes officiales,
sigilliferi, notarii, procuratores negotiorum dictarum cu-
rriarum & clerici foranei qui nunc sunt vel erunt, hæc sta-
tuta pro posse suo & bona fide, quantum in eis erit, obser-
uent. Si quis autem officialis, sigillifer, aut notarius, aut
clericus foraneus, officialis nostri vel archidiaconorum
prædictorum, aut procurator quicumque scienter dicta,
statuta, vel eorum aliqua præsumpserit violare, volumus

& ordinamus quod talis suspendatur ab exercitio officii ad sex menses & vltra, prout suo iudici in ea parte videbitur expedire: & alias arbitrio iudicis eiusdem puniatur, prout hoc meruerit proteruitas delinquentis.

ANNO
CHRISTI
1446.

Item præcipimus omnibus iudicibus, sigilliferis, officialibus, aduocatis, procuratoribus negotiorum dictarum curiarum, clericis foraneis officialis nostri & archidiaconorum, nec non decanis conciliorum prædictorum, aut eorum vicegerentibus sub poena excōmunicationis, quod quilibet ipsorum, infra mensem post præsentium publicationem, copiam statutorum ipsorum habeat, ne super illis ignorantiam aliquam valeat allegare. Et quod ipsi decani, vel eorum vicegerentes rectoribus ecclesiarum sui concilii ea publicent, & ipsi rectores eorum copiam recipiant quantocitius poterunt. Et si aliquos violatores seu transgressores eorundem statutorum, vel aliquos falsarios vel abufores literarum apostolicarum vel delegatorum iudicum, seu curiæ officialis nostri capituli, vel archidiaconorum prædictorum, vel super hoc diffamatum sciuerint, inuenerint, vel perceperint, illorum nomina vel excessus officiali nostro, prout statuta synodalia præcipiunt, denuntient vel rescribant. Verum quoniam omnia præmissa per nos ordinata & statuta sunt dumtaxat propter abusus repellendos, & in melius reformandos, non intendimus per ea iurisdictionibus nostris per nos & per nostros officiales curiæ nostræ iuratos, aut archidiaconorum ecclesiæ nostræ Leodiensis & aliorum prælatorum in aliquo derogare, saluis semper ordinationibus & statutis nostris superscriptis, in suo robore permanentibus. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum vna cum sigillo dicti nostri capituli apposuimus.

Et nos capitulum Leodiense prædictum, in signum consilii & consensu nostri super & in præmissis datorum, & vt statuta & alia præmissa robur obtineant perpetuæ firmitatis, sigillum nostrum, vna cum sigillo dicti reuerendi patris domini episcopi Leodiensis prædicti, his literis seu statutis duximus apponendum. Datum anno a natiuitate Domini 1446. mensis Iunii die 4.

Et sunt prædictæ reformationes confirmatæ per S.D.N. Nicolaum papam V. anno incarnationis dominicæ 1451. xvi. Kalendas Nouembris, pontificatus sui anno quinto.